ARTICULI

Confœderationis & Commercii

INTER

Sereniſsimum & Potentiſsimum Principem

CAROLUM II.

Dei Gratia Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ* & *Hiberniæ* Regem, Fidei Defenſorem, &c.

ET

Sereniſsimum ac Potentiſsimum Principem

CHRISTIANUM V.

Dei Gratia *Daniæ*, *Norwegiæ*, &c. REGEM.

Concluſi *Hafniæ* 11mo die *Julii*, 1670.

LONDINI,

Excuſum per Aſſignatos *Johannis Bill* & *Chriſtopheri Barker*, Majeſtati Regiæ Typographorum. 1671.

CUM PRIVILEGIO.

Articuli Confœderationis & Commercii inter Sereniſsimum & Potentiſsimum Principem CAROLUM II. Dei Gratia Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ* & *Hiberniæ* Regem, Fidei Defenſorem, *&c.* & Sereniſsimum ac Potentiſsimum Principem CHRISTIANUM V. Dei Gratia *Daniæ*, *Norwegiæ*, &c. Regem.

I.

Sit inter ambos Sereniſsimos Reges, eorumque Hæredes, Succeſſores, necnon Regna, Principatus, Provincias, Ditiones, Comitatus, Inſulas, Civitates, Subditos & Vaſallos, cujuſcunque conditionis, dignitatis & gradus illi fuerint, terra marique, in fluminibus, aquis dulcibus & ubivis locorum, tam in Europa quam extra Europam, nunc & in futurum ſincera, vera & perfecta Amicitia, Pax & Confœderatio, ita ut neq;

alter alterius Regnis, Principatibus, Provinciis & Ditionibus, Hominibusve & Subditis ullum detrimentum, damnum vel incommodum inferat, neque hoc ab aliis, quantum in se erit, fieri permittat, sed potius se invicem sincera Amicitia, Benevolentia, & Amore prosequantur; atque alter alterius, ut & Subditorum ejus utilitatem & rationes, tanquam proprias, omni tempore promoveat, damna autem, læsiones & injurias Facto & Consiliis, cunctis viribus prohibeat & avertat.

II.

Neuter prædictorum Regum, eorumque Hæredum in ullam rem, quæ suo Confœderato præjudicio aut damno esse possit, consentiet; Sed si alteruter Regum resciverit aliquid proponi, agi vel tractari, aut propositum, actum vel tractatum iri, quod in alterius detrimentum vergere queat, id alteri sine mora significare, atque interea illud omnibus viribus avertere & impedire tenebitur.

III.

Prædicti iidem Reges pro se, Hæredibus, & Successoribus utrinque suis sancte pollicentur, se alterutrius hostibus qui aggressores fuerint, nihil subsidii bellici, veluti Milites, Arma, Machinas, Bombardas, Naves, aut alia bello gerendo apta & necessaria subministraturos, aut a suis Subditis subministrari passuros. Si vero alterutrius Regis Subditi hisce contravenire audeant, tum ille Rex, cujus Subditi id fecerint, obstrictus erit in eos acerbissimis pœnis tanquam seditiosos & fœdifragos animadvertere.

IV. *Con-*

IV.

Conventum praterea & concordatum eſt, quòd ſi ullo unquam tempore, aliquis Princeps vel Status Sereniſſimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. Regna Hæreditaria, Provincias, Comitatus, Oppida, Inſulas, Territoria aut Dominia quæ jam poſsidet, invaſerit, vel quovis modo hoſtiliter aggreſſus fuerit; Tunc Sereniſſimus Rex Magnæ Britanniæ, &c. talem terreſtrium copiarum atq; Bellicarum Navium numerum Sereniſſimo Regi Daniæ & Norwegiæ, &c. contra ejuſmodi aggreſſorem auxilia in tempore ſuppeditabit, qualis ad depellendam vim ſufficerit, ejuſdemque rerum ſtatus poſtulaverit: Quaratione Sereniſſimus Rex Magnæ Britanniæ, &c. omnibus ſuis viribus impeditum ibit, ne per ejuſmodi invaſionem vel turbationem Sereniſſimo Daniæ & Norwegiæ, &c. Regi, quidquam de Regnis, Dominiis aut Juribus ſuis decedat. Et ſi dictus Sereniſſimus Rex Magnæ Britanniæ, &c. dictuſve Sereniſſimus Rex Daniæ & Norwegiæ, &c. ullum fœdus, Amicitiam, Confœderationem aut Neceſsitudinem, cum aliis quibuſcunque Regibus, Principibus, Rebuspublicis aut Statibus, contrahent aut paſciſcentur; Alterunà alterum ejuſque Dominia in iis, quantum in ipſo fuerit, comprehendere conabitur, ſi comprehendi voluerit.

V.

Utriuſque Regis Subditis liberum erit alterius Regna & Provincias, Emporia, Portus, & Flumina cum mercibus ſuis tam terra quam mari, tempore pacis abſq;

Licentia

Licentia aut Salvo-conductu generali vel ſpeciali adire, ubique verſari ac negotiari, quemmodo Vectigalia conſueta pendant; Salvâ tamen utriuſque Regis ſuperioritate ac Jure in Regnis, Provinciis, Principatibus, atque Territoriis reſpective ſuis.

VI.

Conventum tamen & Concluſum eſt, quod ſubditi Sereniſſimi Magnæ Britanniæ, &c. Regis ad Portus prohibitos, quorum in præcedentibus Fœderibus mentio fit, neque Colonias, abſque ſpeciali Licentia Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. petita & obtenta, nullatenus accedant, niſi evidens maris periculum, aut tempeſtatum impulſus, vel Piratæ inſequentes accedere vel intrare coegerint; ubi tunc minimè ipſis mercandizare licebit; Quemadmodum invicem nec Subditi Sereniſſimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. ad Colonias Britannicas accedere debent, niſi ſpeciali Licentia Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ, &c. prius petita & obtenta.

VII.

Sereniſſimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. Subditis in Cellas & reconditoria ſua in Anglia, Scotia, & Hibernia, & reliquos Magnæ Britanniæ, &c. Regis Portus in Europa tales merces importare licebit, quas Ditiones, Regiones, & Dominia Sereniſſimo Regi Daniæ & Norwegiæ, &c. Subjecta nunc vel in poſterum ferre & producere poterunt, & quæ ibi fabricatæ erunt, itemq; ex univerſo fluvio Albi provenientes; Subditis etiam Magnæ Britanniæ, &c. Regis vicißim fas erit, in

Daniam,

Daniam, Norwegiam omnesq; alios Portus & Colonias non prohibitas Serenissimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. omnis generis merces vasa importare & asferre, quæ nunc vel in posterum in Regnis, Ditionibus & Dominiis Serenissimo Regi Magnæ Britanniæ, &c. Subjectis producta & fabricata erunt. Si verò deinceps aliis peregrinis Nationibus permittatur omnis generis Merces absque exceptione in Angliam Scotiam & Hiberniam, aliosque Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis Portus ferre & advehere, tunc illud ipsum Serenissimæ Regiæ Majestatis Daniæ & Norwegiæ, &c. Subditis etiam licitum erit. Quod vicissim etiam Serenissimi Magnæ Britanniæ &c. Regis Subditis in Serenissimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. Portubus & Coloniis prohibitis pariter concessum erit.

VIII.

Conventum etiam & Conclusum est, quod populus & Subditi Domini Regis Magnæ Britanniæ quacunque Hæreditaria Regna, Ditiones aut Dominia Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. adnavigantes, vel in iisdem mercaturam facientes, nec pluranec majora Vectigalia, Tributa, Portoria, aliaque Jura, neque alio modo solvent, quàm quo Populi Fœderatarum Belgii Provinciarum, aliique Exteri (Suecis solummodo exceptis) eò Negotiantes & minora Vectigalia pendentes solvunt, aut solvent; Atque Eundo, Redeundo, & Commorando necnon Piscando & Negotiando, cæterisque, iisdem libertatibus, immunitatibus & privilegiis gaudebunt, quibus Populi cujuscunque Exteræ gentis, in dictis Regnis & Dominiis Regis Daniæ & Norwegiæ commorantes vel com-

commercantes gaudent vel gaudebunt, & contra vero Populus & Subditi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. in Regionibus & Dominiis Regis Magnæ Britanniæ, &c. iisdem privilegiis utentur & fruentur; Ita scilicet, quod Populus & Subditi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. quæcunque Regna, Ditiones aut Dominia Regis Magnæ Britanniæ, &c. adnavigantes, vel in iisdem mercaturam facientes, nec plura nec majora Vectigalia, Tributa, Portoria aliave Jura, neque alio modo solvent, quàm quo populi Fœderatarum Belgii Provinciarum, aliive Exteri eò negotiantes, & minora Vectigalia pendentes solvunt aut solvent; Atque Eundo, Redeundo & Commorando, necnon Piscando & Negotiando cæterisque, iisdem libertatibus, immunitatibus & privilegiis gaudebunt, quibus Populi cujuscunque Exteræ gentis in dictis Regnis & Dominiis Regis Magnæ Britanniæ, &c. commorantes vel commercantes gaudent vel gaudebunt: Ita tamen ut utriusque Regis Summa potestas in eorum respective Regnis, Ditionibus, Dominiis atque Portubus, Vectigalia & alia quævis pro re nata statuendi vel immutandi salva & illæsa maneat; modò memorata æqualitas ab utraque parte prædicto modo stricte observetur.

IX.

Item Conventum est, quod cum Subditi utriusque Regis merces suas in alterutrius Dominia invexerint, Vectigalia consueta pro iis solverint, & visitationem subierint; Licitum liberumque erit dictas merces suas in Reconditoria & Cellas sibi proprias, vel in loca quæ ipsi maxime commoda atque opportuna existimaverint, inferre, ibique reponere, nec ullus alterutrius

Civi-

Civitatum, Portuumve Magistratus vel Officialis Repositoria, Cellas aut loca reponendis mercibus absque eorum consensu iis imponet.

X.

Subditi utriusque Coronæ per mare commercia exercentes, & littora alterutrius Regni legentes non tenebuntur quemcunque intrare Portum, si ipsorum cursus eò non fuerit directus; Sed libertatem habeant iter suum absque impedimento vel ulla detentione quocunque voluerint prosequendi, neque in Portum vi tempestatis compulsi, ibidemque subsistentes cogantur merces suas exonerare, commutare vel vendere, sed licitum illis sit de illis pro libitu disponere, & aliud quidvis, prout rebus suis conducere arbitrabuntur, agere; Modò nihil fiat quod alterutrius Regis Juribus vel Vectigalibus fraudi esse possit.

XI.

Concordatum etiam est, quod Abietes, Mali, cæteraque lignorum genera, ubi semel in Subditorum vel incolarum Domini Regis Magnæ Britanniæ, &c. Naves illata fuerint, nulli amplius Visitationi subjecta erunt. Verùm omnis Visitatio vel Scrutatio antea fiet; Et si tum vel Quercus vel alia ligna prohibita inveniantur, ea statim in loco, antequam inferantur in Naves, detinebuntur, neque Populorum dicti Domini Regis Magnæ Britanniæ, &c. ejusve Subditorum sive personæ sive Bona ob hanc rem, vel Arresto vel alia quovis detentionis genere ullo modo molestabuntur; Verum saltem modò

Subditi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. qui ejusmodi prohibita ligna divendere vel abalienare ausi fuerint, ob delictum debito more puniantur; Eáque omnia & Singula in hoc Articulo contenta & concessa habebunt, possidebunt & fruentur Populi & Subditi Domini Regis Magnæ Britanniæ, &c. absque aliqua molestia vel interruptione, tam diu & per totum tempus quod Subditi vel aliqui de Populo Fœderatarum Provinciarum Belgicarum eadem talia vel consimilia quocunque fœdere inito vel inundo, conventione, pacto vel permissione habeant, possideant, fruantur; vel habere, possidere, vel frui debeant aut possint.

XII.

Conventum quoque & Concordatum est, quod omnes Subditorum Regis Magnæ Britanniæ, &c. Naves & Mercatores in Passagio suo per fretum Oresundicum Serenissimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. eodem Modo, Beneficio & Privilegio de differenda solutione Vectigalium usque ad reditum suum fruantur, quo superioribus annis proxime elapsis ante nuperum bellum, gavisi sunt & fruebantur. Ita tamen ut dictæ Naves & mercatores secum portent Literas-testimoniales sub sigillo Officiariorum dicti Regis Magnæ Britanniæ, &c. ad hoc deputatorum, Testificantes easdem naves ad Subditos Domini Regis Magnæ Britanniæ, &c. pertinere, necnon ante transitum suum Sufficientem & satis idoneam cautionem de dicta solutione debito loco Domini Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. Vectigalium exactoribus in earum reditu, aut si non redierint, ut plurimum intra tres menses fa-

cienda

cienda præſtent, ſi in dicto eorum primo tranſitu eadem non ſolvant.

XIII.

Et præterea Conventum eſt, quod quaſcunque Merces ſuas Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ, &c. Subditi Elſignoræ in terram exponent, ibique recondent non alio fine quam ut rurſus in Naves integræ reponantur aliò tranſvehendæ, eadem omnino Vectigalia pro illis mercibus ſolvere tenebuntur, & non amplius quam quæ Natio Belgica aliive Exteri hoc in caſu ſolvere ſolent; Quod viciſſim cum Subditis Sereniſſimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. eundem in modum in Anglia obſervabitur.

XIV.

Item Conventum eſt, quod Naves & Subditi Domini Regis Magnæ Britanniæ, &c. tranſactionem & Expeditionem ſuam apud Elſignoram, quam citò appulerint, recipient abſque dilatione; Nullis omnino Navibus cujuſcunque Gentis præ ſe prælationem in eâ parte habentibus; Exceptis Incolis quorundam locorum, qui tale Privilegium in hoc caſu ab antiquo obtinuerunt, eademque hucuſque fruuntur.

XV.

Siquem alterutrius Subditorum in alterius Dominiis aut Territoriis mori contigerit, ei Licitum erit Pecunias, Res & Bona quacunque ſua quocunque modo diſponere.

Et ſi quis intra alterius Regna aut Provincias, abſque tali diſpoſitione prius facta, moriatur, tunc Bona ab eo relicta, mobilia vel immobilia cujuſcunque generis aut conditionis fuerint, fideliter conſervabuntur in uſum legitimi Hæredis, & in ſatisfactionem ejuſmodi debitorum, ad quæ ſolvenda defunctus revera tenebatur. Atque eum in finem, ut primum ullus alterutrius Subditus in alterius Dominiis moriatur, Conſul vel Publicus Miniſter, qui tunc temporis ibi reſidebit, jus habebit ejuſmodi Pecunias ac Bona poſſidere, & coram aliquo illius loci Magiſtratu earundem rerum Inventaria faciet; quæ Res & Bona poſtea apud ipſum remanebunt, quò Hæredibus ac Creditoribus, ut ſupra dictum eſt, reſpondeatur. Sin autem nullus ejuſmodi Conſul aut Publicus Miniſter ibi fuerit, tunc licebit duobus Mercatoribus defuncti Conterraneis, Bona ejus relicta poſſidere, conſervare, parique modo Hæredibus & Creditoribus reſpondere. Quod tamen ita debet intelligi, quòd nulla Charta aut rationum Libri per hunc Articulum dicti Magiſtratus inſpectioni exponentur, ſed tantum Bona defuncti realia & Merces, quodque dictus Magiſtratus intra Spatium Quadraginta Octo Horarum poſt notitiam & requiſitionem factam adeſſe tenebitur, aliter quod dicta Inventaria abſque ejus interventu fient.

XVI.

Alterutri Confœderatorum Ejuſque Subditis Populove cum alterius hoſtibus Commercium habere, iiſque Merces quaſcunque (prohibitis ſolummodo, quas Contrabandas vocant, exceptis) Advehere & Subminiſtrare abſque

absque ullo impedimento licebit, nisi in Portubus locisque ab altero obsessis; Quod si fecerint, liberum tamen ipsis erit, vel obsidentibus bona sua divendere, vel ad alium quemvis portum locumve non obsessum se conferre.

XVII.

Item Conventum est, quod alterutrius Regis Subditis in alterius Dominiis Portubusve Mercaturam facientibus liberum licitumque erit ibidem commorari ac residere ad merces tum alienas emendum tum vendendum suas, absque ulla temporis restrictione vel limitatione ab ullis Officialibus aut Magistratibus dictorum Dominiorum Portuumve iis imponenda, dummodo consueta Vectigalia pro omnibus, quas importaverint, vel exportaverint Mercibus rite solvant. Praeterea quod mercaturam cum nemine exerceant, nisi qui sit Civis vel Burgensis alicujus Urbis aut Oppidi intra Regna Daniae aut Norwegiae, idque solummodo integris Mercium quantitatibus, sicut primitus importantur, non autem minutim vel ulnatim, sicut in Officinis fieri solet.

XVIII.

Item, ut Commercium utrinque majori Celebritate & Incremento promoveatur, atque ut omnes, quae inter Portuum Officiales & Mercatores exoriri poterunt fraudes disputationesque prorsus evitentur, Conventum & Concordatum est, quod omnia & singula Vectigalia secundum in Publicum editum Tariffam exigenda & solvenda erunt, in qua designabuntur omnia Vectigalia,

&

& Portoria ſolvenda tam pro mercibus in Portubus reſpectivis, quam pro tranſitu per fretum Oreſundicum. Atque ut hoc eò ſtrictius obſervetur, uterque Rex Suis Officialibus & Vectigalium Exactoribus non ſolum ſub graviſſima pœna injunget, ne quicquam committant quod huic Conventioni fraudi aut detrimento eſſe poſsit, ſed etiam ne ulla moleſtia & exactione, ultra quam ipſis debetur, alterutrius Regis Subditis Negotium Fuceſſant aut damno illos afficiant.

XIX.

Inſuper Conventum & Concluſum eſt, Quod Sereniſſimus Rex Daniæ & Norwegiæ, &c. Teloniorum ſuorum Inſpectores aut alios quoſdam Commiſsarios conſtituet ad remenſurandas naves omnes Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ, &c. Subditorum in Norwegia Mercaturam facientium, ſecundum magnitudinem & proportionem ipſarum, Ita ut quæ vel in exceſſu vel in defectu hactenus non rite obſervata ſunt, in meliorem poſthac ordinem redigantur.

XX.

Ne verò libera ejuſmodi Navigatio, aut tranſitus Fœderati unius, ejuſque Subditorum ac Incolarum durante Bello alterius Fœderati terra marive cum aliis Gentibus fraudi ſit alteri Confœderato, merceſque & Bona hoſtilia occultari poſsint, dolis prætexendo Amici nomen: ea ratio amovendæ fraudi ſuſpicionique placuit, quòd Naves, Merces, Homineſque ad alterum Confœderatorum pertinentes in Itineribus ac Navigationibus

tionibus ſuis muniti omnino eſſe debeant Salvi-conductus, vulgo Paſſeportus & Certificationum literis, quarum tales, ut infra ſcriptæ ſunt, formulæ obſerventur.

CAROLUS Secundus Dei Gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ *Rex, Fidei Defenſor, &c.*

CHRISTIANUS Quintus Dei Gratia Rex Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque, *Dux* Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ *ac* Dithmarſiæ, *Comes in* Oldenburg & Delmenhorſt, *&c.*

NOtum teſtatumque velimus omnibus & ſingulis quibus hæ noſtræ Salvi-conductus literæ exhibebuntur, quod

Subditus noſter
& Civis Urbis humillime
Nobis ſignificari curaverit Navem
dictam laſtarum capacem ad

ſe

ſe alioſque Subditos Noſtros pertinere, eiſque ſolis propriam eſſe, jam vero mercibus quæ Schedula, quam a Noſtris Vectigalium Officialibus ſecum habet, continentur, & ad Subditos Noſtros, aut alios neutrarum Partium homines vere & realiter tantum ſpectant, onuſtam de Portu iter immediate deſtinaſſe; Indeque in alia loca ubi commode cum ejuſmodi mercibus non prohibitis, vel ad neutram Belligerantium partem pertinentibus, Negotiari, vel etiam Vecturam adinvenire poterit, curſum directurum; Quod cum prædictus Subditus Noſter Scripto aſſeveraverit, & ſub Navis merciumque fiſco Noſtro addicendarum publicatione ſe vera protuliſſe Juramento affirmaverit, eundem cum præfata Navi hiſce Salvi-conductus Noſtri literis muniendum cenſuimus. Proinde ab omnibus terrarum Mariumq; Poteſtatibus, Regibus, Principibus, Rebus-publicis ac liberis Civitatibus, inprimis vero a Partibus bello hoc tempore ſe laceſſentibus, earumque Ducibus, Thalaſſiarchis.

lassiarchis, Generalibus, Officialibus, Navium Portuumque Præfectis, Capitaneis, Instructoribus, aliisque omnibus quibus custodia aliqua maris aut Portus Commissa est, quibuscunque Navem hanc Navigando obviam venire, quorumque in Classes & Naves fortè incidere aut in Portubus morari contigerit, Respectivè, Amicè, Benevolè & Clementer requirimus, ut ratione fœderum & amicitiæ, quæ Nobis cum unoquoque Rege vel Republica intercedit, dictum Navarchum cum Navi Personis, rebus ac mercimoniis omnibus illi impositis non solum liberè ac absque ullâ molestia, detentione aut impedimento quocunque iter suum prosequi permittant, sed etiam eidem tanquam Nostro Subdito, si opus fuerit, omnia humanitatis Officia exhibeant, eadem vicissim a Nobis Nostrisque in pari vel alio casu experturi. Dabantur

die mensis

Anno

C NOS

NOS Præses, Consules & Senatores Civitatis attestamur & Certificamus, Quod die mensis Anni personaliter coram Nobis comparuerit Civis & Incola Civitatis vel Oppidi atque sub Juramento, quo Serenissimæ Regiæ Majestati Domino Nostro clementissimo attinetur & obstrictus est, Nobis declaraverit, Quod Navis aut Navigium dictum lastarum capax, pertineat ad Portum, Civitatem vel Oppidum in Provincia quodque dicta Navis ei & aliis Serenissimæ Regiæ Majestatis Domini nostri clementissimi Subditis solis justo titulo propria sit, Jam vero de Portu iter directè destinasse, iis onusta Mercibus, quæ Schedula a Vectigalium Officialibus accepta continentur, idemque asseveraverit sub juramento prædicto præfatam Navem cum Mercibus & Bonis ad Serenissimæ Regiæ Majestatis Subditos tantum pertinere, nullasque merces prohibitas, quæ ad

ad alterutram hoc tempore Belligerantium partem ſpectant vehere. In quorum fidem hanc Certificationem a Civitatis hujus Syndico Subſcribi & Sigillo Noſtro muniri curavimus. Dabantur, &c.

UBI igitur Merces, Bona, Navigia, Homines alterutrius Confœderatorum, ejuſque Subditorum & Incolarum in Aperto Mari, Fretis, Portubus, Stationibus, Terris ac Locis quibuſcunque Obvia aut obvii fuerint, Navibus Bellicis publicis aut privatis, vel hominibus, Subditis ac Incolis alterius Confœderati, exhibitis duntaxat prædicti Salvi-conductus & Certificationis literis, nihil ulterius ab iis exigatur; in Bona, Navigia, aut Homines nequaquam inquiratur, multo minus injuria damno aut moleſtia ulla afficiantur, Sed proſequendo itineri ac inſtituto ſuo liberrimè dimittantur, quod ſi vero ſolennis hac & Stata Salvi-conductus & Certificationis formula non exhibeatur, aut alia aliqua Fuſta atque urgens ſuſpicionis cauſa ſit, tum Navis viſitari debet; Quod tamen hoc ſolum caſu & non aliter permiſſum intelligi debet. Si ab alterutra parte adverſus hujus Articuli genuinum ſenſum quicquam commiſſum fuerit contra alterutrum Confœderatorum, contravenientibus Subditis ac Incolis ſuis pœnam Severam uterque Confœderatorum infligi, læſo autem alteri Confœderato, ejuſve Subditis ac Incolis, de jactura omni ac impenſis plenariè & protinus ſine ulla mora ſatisfieri curabit.

XXI.

Conventum etiam & Concordatum eſt, Quod omnes Domini Regis Magnæ Britanniæ, &c. Subditorum & Incolarum Naves una cum oneribus & mercimoniis ſuis, quæ munimentum Gluckſtadienſe vel reliqua Sub Dominio Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. ad Ripam fluvii Albis ſita loca & Oppida præternavigent, ſive ſit eundo ſive redeundo liberæ & immunes erunt ab omni Vectigali, Portorio, Scrutatione, Detentione atque Moleſtia, Excepto tantummodo caſu ſcrutationi, tempore belli, quando Rex Daniæ & Norwegiæ, &c. bellum habet cum alio quocunque Rege vel Statu.

XXII.

Si alterutrius Regis Subditi in alterius Territorio ladantur vel injuria ſive detrimento afficiantur, tum Rex illius loci ubi injuria illata eſt curabit, ut ſecundum Jura & conſuetas Regionis Leges promptè Juſtitiâ adminiſtretur, iiſque qui delictum vel injuriam commiſerunt, debita pœna cum reparatione damnum paſsis facienda infligatur.

XXIII.

Item Conventum eſt, Quod nulla omnino Navigia, Naves, Merces, vel Mercimonia in Navibus onerata cujuſcunque naturæ, generis vel qualitatis utcunque capta, ad Subditos quoſcunque unius vel alterius Regis prædicti ſpectantia, ſub aliquo quocunque colore ſeu

prætextu

prætextu pro præda adjudicentur, niſi per judicialem Examinationem & proceſſum in forma Juris, in Curia Admiralitatis pro talibus prædis Maritimis in ea parte legitimè conſtituta.

XXIV.

Utraque Pars Subditis & Populo alterius jus & aquitatem ſecundum uniuſcujuſque Regionis Leges & Statuta celeriter & abſque prolixis & non neceſſariis ambagibus ac impenſis adminiſtrari faciet, in omnibus cauſis & litibus etiamnum pendentibus, quæve deinceps exoriri poſſint.

XXV.

Si circa alterius Partis littora alterutrius Confœderatorum ejuſque Subditorum & Incolarum Naves, ſive illæ Bellica ſive Mercatoriæ fuerint, Vadis hærere vel ſcopulis allidi, jactum facere, aut quocunque caſu (quod Deus avertat) frangi contigerit, prædictæ Naves cum omni apparatu, Bonis & Mercibus, vel quicquid ex illis ſuperfuerit, Dominis & Proprietariis ſuis reſtituentur, Dummodo ipſi vel ipſorum Plenipotentiarii aut Procuratores intra unius anni & diei ſpatium, ex quo naufragium factum fuerit, Naves & Bona ſibi vendicarint, Salvis ſemper Juribus & Conſuetudinibus cujuſq; Nationis. Subditi etiam vel Incolæ ad ejuſmodi littora ac oras habitantes periclitantibus ſubvenire, & quantum in ſe erit, auxilio adeſſe tenebuntur, omnemque operam conferent, vel ad Navem liberandam, vel ad Bona, Mercimonia, Naviſque apparatum, cæteraque, quæ poterunt, è naufragio eripienda, & quæ dominis reſtituentur, in

tutum

tutum locum convehenda, ſolvendo tamen expenſas & præmia quæ meruerint, illis quorum opera & diligentia res & bona recuperata & cuſtodita fuerint; Et denique utraque Pars hoc in Paſſu illud obſervari curabit, quod ab altera obſervari præſtarique vellet.

XXVI.

Navium Præfecti, earundem Gubernatores, Milites, Nautæ, Sociique Navales, ipſæ etiam Naves, Merceſque & Bona quibus onuſtæ erunt, nullius omnino mandato ſive generali ſive ſpeciali, nullamque ob cauſam niſi Regni defenſionis & Conſervationis cauſa vadimonio ſive Arreſto detineri poterunt; Quod tamen de Arreſtis legum Authoritate ob contractum æs alienum legitimis aliis quibuſcunque de cauſis impoſitis non intelligetur, in quibus ſecundum juſtitiæ legumque præſcriptum omnino procedetur.

XXVII.

Mercatoribus utrinque, eorum Inſtitoribus & famulis atque etiam Naucleris, Nautiſque per maria aliaſque aquas, tum etiam in Portubus, Litteribus & Terris alterutrius fœderatorum liberum erit euntibus, redeuntibus, & ambulantibus, ſui ſuorumque Bonorum defendendi cauſa omne genus arma portalitia, tam offenſiva quam defenſiva, geſtare, modo nequaquam præbeant Præfectis & Magiſtratibus uniuſcujuſq; loci juſtam ſuſpicionem de Machinationibus adverſus Pacem publicam vel privatam.

XXVIII. Naves

XXVIII.

Naves præſidiariæ, ſeu Bellicæ alterutrius partis, quaſcunque Naves, Mercatorias vel alias, quæ ad alterum Fœderatum vel ejus Subditos pertinuerint, idemq; iter fecerint, in mari intra vel extra Europam obviam habentes aut aſſequentes, iis præſidio eſſe, eaſque defendere tenebuntur, quamdiu eundem curſum tenuerint.

XXIX.

In majorem Commerciorum ſecuritatem & Navigationis libertatem Conventum atque concordatum eſt, Quod neutra pars, quantum fieri poſſit, & in ſuis fuerit viribus, permittet, ut Piratæ publici vel alii hujus generis Prædones in alterius Regni vel Regionis Portubus receptacula ſua habeant; aut ſinet ut ullus ex Incolis aut populo alterutrius illos tecto vel commeatu excipiat, aut aliquo modo juvet, verum è contra operam dabit, ut prædicti Piratæ vel Prædones eorumque Participes & Adjutores prehendantur ac pro merito puniantur, Naveſque & Mercimonia, quantum eorum reperiri poterit, Legitimis Suis Dominis, vel eorum Procuratoribus reſtituantur, modo eorum jus debitis ex lege probationibus in Curia Admiralitatis cauſarum maritimarum appareat.

XXX.

Conventum & Concordatum eſt, Quod utriuſque Partis Subditis & Populo ad alterius Confœderati portus

Portus ac Oræ liber semper erit accessus, licitumque illis erit, in iis commorari, & inde rursus recedere ac etiam per Maria ac Territoria quæcunque utriusque Regis respectivè transire (non faciendo damnum nec præjudicium) non solum cum Navibus mercatoriis & onerariis, sed etiam cum Navibus bellicis, sive publica fuerint, sive eorum qui specialia Diplomata obtinuerint, sive tempestatis vi aut maris periculo evitando intraverint, sive ut Naves reparent, aut commeatum coemant, modo sex Navium bellicarum numerum non excedant, si sua sponte intraverint, nec diutius in Portubus aut circa Portus hærebunt, quam ad Navium reparationem, coemenda Victualia, aliave necessaria opus fuerit. Et si majori Navium bellicarum numero, data occasione, ad ejusmodi Portus velint accedere, iis intrare nequaquam erit licitum, nisi data primum tempestivè per literas notitia de illarum adventu, & prius impetrata ab iis venia, ad quos Portus prædicti pertinuerint. Si vero vi tempestatis, vel alia urgente necessitate, ad portum quærendum compulsæ fuerint; In tali casu absque ullo indicio vel notitia præcedente Naves ad certum numerum restringendæ non erunt; Hac tamen conditione, Quod illarum Præfectus statim ab ipsarum appulsu summum Magistratum vel istius loci Portus aut Oræ, ad quam appulerint, Præfectum de sui adventus causa certiorem faciet, nec [illegible] ibi hærebit, quam ipsi a Summo Magistratu [illegible] fecto permissum erit, nihilq; hostile in Portubus in quos se receperit, aut quicquam in præjudicium istius ad quem pertinuerint, Confœderati faciet aut molietur.

XXXI. Sæd.tis

XXXI.

Subditis amborum Regum Incolisve Regnorum aut terrarum illis obedientium licitum non erit, ab aliquo Principe vel Statu cui cum alterutro Fœderatorum discordia aut bellum apertum erit, literas Patentes, quas Commissiones vocant aut Repressalias, impetrare, multo minus vi istarum literarum Subditos alterutrius aliqua molestiâ aut damno afficere. Uterque dictorum Magnæ Britanniæ, &c. & Daniæ & Norwegiæ, &c. Regum Subditos quisque suos stricte prohibebit, ullas ejusmodi Commissiones ab aliis Principibus aut Statibus obtinere vel accipere; Sed quantum in ipsis erit depredationes omnes virtute talium Commissionum fieri omnino vetabit.

XXXII.

Siqua Navis aut Naves, quæ Subditorum alterutrius Regum fuerint, in alterius Portubus à quovis tertio capiantur, illi quorum in Portu aut quacunque ditione predictæ Naves captæ fuerint, pariter cum altera parte dare operam tenebuntur in predictis Nave vel Navibus insequendis & reducendis, suisque Dominis reddendis; Quod tamen fiet Dominorum impensis, aut eorum quorum id interest.

XXXIII.

Quod si etiam in Navibus ab alterutrius Confœderati Subditis captis, & in Portum aliquem alterius adductis

aliqui nauta vel aliæ persona reperiantur, qui illius Confœderati in cujus Portus vel flumina præda adducetur, Subditi fuerint, ab illis, qui ipsos ceperint, humaniter tractabuntur & libertati protinus absque ulla Redemptionis pretio restituentur.

XXXIV.

Quod si alterius Coronæ Navem bellicam vel aliam quandam mercibus prohibitis onustam capere contingat, Præfectis, qui illam ceperint, liberum non erit, Cistas, Tonnas, Sarcinasque in eâ contentas aperire, vel rescindere, neque etiam mercium quid transportare, vel alio quovis modo alienare, nisi illa prius in terram exposita fuerint, earumque coram Judicibus rerum Maritimarum confectum inventarium.

XXXV.

Itaque amborum Regum Subditorum Securitati eò uberius prospiciatur, adhibeaturque Cautio ne ulla ipsis violentia à prædictis Navibus bellicis inferatur, omnibus Serenissimi Magnæ Britanniæ, &c. Regis Navium bellicarum Præfectis, & aliis quibuscunque ejus Subditis severè injungetur & mandabitur, ne molestia aut detrimento ulli, Subditos Serenissimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. afficiant; Secus si fecerint, in personis & bonis omnibus tenebuntur, donec de detrimentis ab ipsis illatis & incommodis omnibus exinde perceptis & percipiendis debita ac justa fuerit consecuta satisfactio & compensatio. Similiter omnibus Serenissimi Regis Daniæ & Norwegiæ, &c. Navium bellicarum Præfectis,

Præfectis, & aliis quibuscunque Ejus Subditis severè sub iisdem pœnis injungetur & mandabitur, nè molestia aut detrimento ullo dictos Regis Magnæ Britanniæ, &c. Subditos afficiant. Proviso tamen, quod omnes prædictæ actiones juste & legitimo processu in Curiis Admiralitatis utriusque Regis examinari & judicari debeant: Sive si partium alterutri, qui extraneus fuerit in isto loco ubi controversia erit peragenda, potius visum fuerit, coram certis quibusdam Commissariis, quos uterque Rex, statim atque implorati fuerint, hunc in finem constituent, examinabuntur; ita ut processus hac ratione non solum absque plurimis sumptibus pertracturi, sed etiam ad summum intra tres menses finiri possit.

XXXVI.

Ambobus Regibus curæ erit, ut judicia & Sententia de rebus in mari captis ad justitia & æquitatis præceptum ab hominibus non suspectis & non interessatis ferantur: lataque à Judicibus hujusmodi Sententiæ secundum formam & tenorem suum ut legitimæ executioni dentur, Ambo quoque Reges suis serio mandabunt atque præcipient.

XXXVII.

Si alterutrius Regis Legatos sive quosvis alios Ministros Publicos apud alterum Regem commorantes de ejusmodi sententiis queri contigerit: Rex apud quem conquestio fiet, dicta judicia, & sententias in Concilio Suo revideri & examinari curabit, ut appareat, utrumne secundum leges hujus fœderis debitisque adhibitis cautionibus peracta sint omnia, necessariaque: Si con-

 trarium

trarium contigerit, adhibeantur remedia, quod intra trium ad Summum mensium tempus fieri debebit; neque tamen vel ante prolatam primam Sententiam; vel postea, durante revisionis tempore, Bona, de quibus quæstio erit, è Navibus exponere aut vendere & distrahere licebit, nisi id fortè Partium consensu, evitandæque Bonorum & Mercium corruptionis causa fieri contingat.

XXXVIII.

Memoratorum Regum alter in alterius Aula Suos habeat Ministros, in certis vero Portubus Consules, ut tanto facilius per eos invicem communicari & proponi possint res, quas tam in publicum, quam privato uniuscujusque commodo inservire posse putaverint.

XXXIX.

Nulla privata injuria Fœdus hoc ullo modo infirmabit, neque odium aut dissidia inter prædictas Nationes suscitabit; sed quilibet de facto suo proprio respondebit, neque eo tenebitur, neque per Represalias aut alios hujusmodi odiosos processus alter ideinet, in quo alter aliquid deliquerit, nisi Justitia denegabitur, aut plus justo differetur: in quo casu, Regi illi cujus Subditus Damnum & Injuriam passus est, licitum erit juxta Juris Gentium Leges & Præscripta omnimodo procedere donec facta fuerit læso reparatio; Modo tamen aliorum antea Regem debito modo admonuerit.

XL. *Item*

XL.

Item concordatum est, quod si Gens Belgica vel alia quacunque Gens (Suedica Gente tantummodo excepta) aliqua meliora Pacta, Conventiones, Exemptiones, sive privilegia, quam ea quæ in hoc tractatu continentur, à Domino Rege Daniæ & Norwegiæ, &c. hactenus obtinuit, vel in futurum obtinebit, quod eadem talia & consimilia Domino Regi Magnæ Britanniæ, &c. Et Subditis suis communicentur & cum effectu concedantur libere & cum omni plenitudine: Et è contra si Gens Belgica vel alia quacunque Gens aliqua meliora Pacta, Conventiones, Exemptiones sive Privilegia, quam ea quæ in hoc Tractatu continentur, à Domino Rege Magnæ Britanniæ, &c. obtinuit, vel in futurum obtinebit, quòd eadem talia & consimilia Domino Regi Daniæ & Norwegiæ, &c. & Subditis suis communicentur & cum effectu concedantur, libere & cum omni plenitudine.

XLI.

Concordatum etiam est, Quod per nulla Pacta, Conventiones, Articulos sive Capita in præsenti fœderis Tractatu contenta ullo modo præcedentes Tractatus aut Fœdera inter prædictos Confœderatos aut suos Prædecessores Reges tam pro Regnis Magnæ Britanniæ, &c. quam pro Hæredituriis Regnis Daniæ & Norwegiæ, &c. respective antehac facta, censeantur sublata & antiquata; Sed ut ea perpetuo maneant in pristino suo robore, firmitate & vigore, quatenus non sunt contraria aut repugnantia præsenti Fœderi aut Articulorum alicui in eo contento.

XLII. *Denique*

XLII.

Denique Conventum, Concordatum & Conclusum est, Quod præditi Serenissimi Principes & Reges omnia & singula Capita in præsenti Tractatu contenta & stabilita sincerè & bona fide observabunt, perque suos Subditos & Incolas observari facient, neque illis directe vel indirecte contravenient, aut à Suis Subditis vel Incolis contravenire permittent: Omniaque & singula, ut supra Conventa, per literas Patentes manibus suis subscriptas, Magnis Sigillis sigillatas ratihabebunt & confirmabunt in sufficienti valida & efficaci formâ conceptas & exaratas, easdemque reciproce intra Tres Menses post datum præsentium tradent, seu tradere facient, bona fide, realiter & cum effectu.

Dabantur *Hafniæ* die Undecimo *Julii* Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo.

FINIS.